

risingenii hominibus accuratè observare queat. Contra, qui vel tenerrimæ adhuc sunt ætatis, vel literarum rudes, aut satis tenuiter in literis instructi, quid quæso commodi ex molesta & pretiosa peregrinatione haurire possunt. In hos meritò quadrat vulgare illud: qui trans mare currunt, cœlum non animum mutant. Quapropter ne Studiosorum quisquam spem parentum, cognatorum; vel nostram cum inæstimabili temporis & patrimonii dispendio miserè fallat, omnes & singulos studiorum gratia hic viventes sedulò adhortamur, ut hodiè, qui est 17. Sept. 1668. horâ 2. pomeridianâ in majori templi auditorio conveniant, nominaque sua certis Professorum lectionibus adscribi curent, & sub nostra directione, fideli informatione aliquid re & nomine dignum addiscant; atque sic cum fructu tandem, quibus accepta est peregrinatio, peregrinari incipiant Sicut hac in re singulorum diligentiam & obedientiam percepturi sumus, ita nos ad omnia honesta & possibilia officia quovis tempore paratissimos invenient. Valete. Dabam Londini die 17 Septembris Anno 1668.

RECTOR ACADEMIÆ CAROLINÆ

NICOLAUS BECKMANN,

Heida-Hofsatus J. U. D. & Prof. Ordin. omnibus & singulis
S. P. D.

SCitum sanè & memorabile est Rabbiorum effatum, quod in tractatu Nachalath avoth allegatur: לכל בעל מלאכה יש להוסיף; hoc est, cujuslibet artificis est, artem suam amplificare. Id si in ullo scientiarum genere, certè in juris Naturæ & Gentium scrutinio accuratiori locum habet. Quod ut ante Grotium à paucissimis excultum fuit, ita proximis abhinc annis cum maximo juris Civilis incremento florere, & felici Clarissimorum Virorum industria, ad exemplum & imitationem istius Magni Viri & paucorum aliorum nitidissimè tractari coeptum est, sic ut pro axiomate hodie circumferatur: nullius Gentis jura Civilia doctè & penitus intelligi posse, nisi ab iis, qui peritia Juris Naturalis præstant. Egregio prorsus Reipublicæ bono! Neque enim sufficit proletaria illa ac perfunctoria LL. Romanarum & aliarum peritia, quibus allegandis transcribendisque eximios sese ICtos venditant: planè ac vellet architectum se profiteri, qui prima ac communissima Matheseos rudimenta ignorat. Patef-